Q. D. B. V.

ex

# POLITICIS,

De

# IMPERIO HOMINIS IN HOMINEM,

Athenis Leucoreis,

*PRÆSIDE,*

*Viro Præ-Eximio atq; Clarissimo,*

DN. M. CHRISTIANO FASELTO,

Elector. Saxon. Alumno, & Collegii Philosophici Adjuncto dignissimo,

*Fautore ac Præceptore suo perpetim honorando,*

publicè disputabit,

DANIEL KOHLREIFF/

Primislaviensis Marchicus,




*Horis antemeridianis,*

ad d. Decemb.

*In Auditorio Majori.*

Typis MICHAELIS Wendt/

*ANNO MDCLXV.*

CUM PROSPERO NUMINE!

De

# IMPERIO HOMINIS IN HOMINEM.

## *PRODROMUS.*

EA omninò Imperii vis atqve conditio eſt, ut ſine eo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus posſit. Age igitur, diſſeremus hîc nonnihil de *Eo*, & ita quidem diſſeremus, ut origine illud tùm *divinum*, tùm *naturale*, tùm *civile* eſſe oſtendamus. Faxit DEUS FELICITER!

## DISSERTATIO I.

De

### *Ortu Imperii hujus divino.*

§. 1. Dicunt aliàs Politici, qvòd *regere* & *regi* ſint *actiones divinæ, naturales & civiles*, cùm ex Jure divino, naturali & gentium oriantur. Id verò an in rei etiam veritate ita ſeſe habeat, paullò ſollicitiùs erit à nobis nunc inqvirendum ac demonſtrandum.

§. 2. Ne autem, more Antabadarum, oculis cœcis irruamus, aut extra oleas vagare videamur, prælibanda ſunt nonnulla de proprio ac genuino diſſertationis noſtræ ſenſu.

§. 3. Sciendum igitur (1) qvòd qvidem de induſtriâ *terminum Imperii* hîc adhibeamus; (Latiùs enim nobis patere videtur, qvàm dominium, juſſio, poteſtas & regimen; non qvòd tanqvàm genus de iis prædicetur, ſed qvòd hæc materialiter implicet.

 Alias

Alias verò, si strictè unamqvamlibet vocem accipere & ex usu suo proprio appreciari qvis velit, nulli diffitemur, qvòd inter sese non minimum discrepent. Vid. Nicolaus Perottus in Cornu Copiæ & Popma lib. 3. de diff. verb.) Sed non accipimus eundem pro imperio præcisê vel politico, vel œconomico, herili & paterno, sed abstractè eo ipso notamus qvemcunq; ordinem in jubendo & parendo inter homines vigentem, sive ille politicus, sive Oeconomicus audiat. Adeoq; per imperium hominis non intelligimus *imperium 1. in se ipsum*, qvo τὸ ἡγεμονικὸν præest τῷ ὀρεκτικῷ, adeò, ut ratio & voluntas affectibus imperet: neqve 2. *in bruta animantia*, qvod alias ipsi homini à Deo in prima creatione concessum fuit; sed 3. *imperium in hominem*, qvod *in statu* vel politico vel œconomico exercet.

§. 4. Unde patet (2) qvòd *voce hominis* hoc loco *non* intelligamus *hominem absolutè, & in se talem*, qvatenus sensu Physico animal rationale dicitur, sed respicimus eum *in certo statu*, qvatenus vel personam Magistratus aut Domini, vel subditi, qvacunqve ratione, sustinet, adeoq; ab una parte imperans, ab altera verò parens est.

§. 5. (3) Qvòd *ortum* Imperii hujus *divinum* dicamus, *non* (1) *respectu causæ materialis*, qvia personæ illæ, qvi imperant vel parent non sunt divinæ, sed humanæ; *neq;* (2) *respectu causæ formalis*, qvia jussio illa & paritio non Dei, sed hominum est, *neq;* (3) *respectu causæ finalis*, qvia eo ipso non præcisè respicimus ad Dei gloriam, tanqvam finem ultimum; *Sed* (4) *respectu Causæ Efficientis principalis*, qvòd à Deo glorioso profectum & ita sapienter ab ipso ordinatum sit, ut hic imperet, iste vero pareat. Distingvendum autem hîc inter imperium ipsum seu ejus possessionem; & inter ipsius acqvisitionem & usurpationem. Illud, qvocunqve etiam more veniat, origine semper divinum est & à Deo constitutum; hæc verò non item, uti ex seqventibus patebit fusius.

§. 6. (4) Qvod *ortum* hunc Imperii hominis in hominem non restringamus tantùm *ad tempora hominis post lapsum; sed includimus etiam statum integritatis ante lapsum*, in qvo & certo modo potestas in Adamo & subjectio in Eva deprehensa fuit, qvemadmodum & hoc in seqventibus evincere pro virili conabimur.

§. 7. *Sensus* igitur dissertationis hujus hic potissimùm est, qvòd *omne imperium, qvodcunq; etiam illud sit, qvod hic vel ille in*

*alium*

*alium habet, qvocunq; etiam tempore spectetur, ordinatio divina sit, DEumq; auctorem habeat.*

§. 8. Id verò ne gratis omnimodè dixisse videamur, proferendæ qvoqve sunt rationes, qvibus sententiæ hujus tutò confirmari & inniti qveat veritas. Et cum *Imperium* omne sit vel *politicum*, vel *œconomicum*, in societate scil. *conjugali, berili* & *paterna*, de unoqvolibet etiam hîc in specie nobis erit agendum.

§. 9. POLITICUM primò qvod spectat, nemo sanè, nisi infensissimus hostis ejus, negare unqvam præsumet, qvod à Deo (licet qvidem post lapsum) institutū sit. Testatur n. hoc Scriptura (1) *expressis testimoniis* Dan.2.v.21. Proverb. 8. Rom.13. (2) *honorificentissimis Magistratus elogiis*, qvod Dei, Angeli & vindices vocentur, (3) *Mandatis*; qvibus Deus severissimè præcepit subditis, ut Magistratus suos honorent. Rom.13.v.1. (4) *Comminationibus*, qvibus pœnam gravissimam inobedientibus & Magistratui resistentibus, denunciat Deus, Exod.12.v.28. Rom.13.v.2. de qvibus aliàs ex professo agunt Theologi, & egit etiam Christian. Matt. in Coll. Polit. p.86. & seq. & Velstenius in qvæst. Pol. p.271. & seqq.

§. 10. Et ne qvis existimet, qvasi id asseramus de *Imperio* tantùm *recto*, adjicimus qvoq; imperium *corruptū*, qvod æq; etiam, ac illud, à Deo esse statuimus. Si enim omnis potestas, juxta Apostolum, à Deo est, utiq; & illa, qvæ corrupta est; licet qvidem ratione exercitii Diabolum auctorem habeat. Qvare aliud est potestas, & aliud potestatis abusus. Ipsa potestas est à Deo, & initium à Dei ordinatione cœpit; sed potestatis abusus est à Diabolo & à persona Diaboli suggestionibus obtemperante. Adeoq; distingvenda est potestas à vitio potestatis atqve personæ, materiale à formali, abstractum à concreto.

§. 11. Cadit igitur hinc illorum sententia, qvæ statuit, qvòd *Imperium Politicum sit nudum inventum humanum & à Nimrodo primitùs per violentiam introductum*. Concedimus qvidem libenter, qvòd sit ordinatio humana, sed negamus, qvòd αἰτιολογικῶς seu causaliter ab hominibus nudè excogitatum & inventum sit. *Ordinatio* autem *humana* dicitur Imperium Politicum (1) *subjectivè*, qvòd ab hominibus geratur. (2) *Objectivè*, qvòd circa homines versetur. (3) *effectivè* qvòd ad hominis bonum & humanæ societatis conservationem â Deo constitutum sit. Deinde, qvod concernit *imperium Nimrodi*, negamus ἀποτόμως, qvòd cum illo ipso

omne imperium simul cœperit. Constat enim ex historia creationis, qvòd jam longè ante ipsum, & qvidem statim post diluvium, Magistratum Politicum Deus instituerit, Noæ & Filiis illius dicens Gen.9.v.6. *Qvi sangvinem hominis fuderit, ejus sangvis per hominem effundetur.* Ubi per hominem Deus ordinarium Magistratum Politicum, potestate gladii divinitùs armatum, intelligit. vid. cumprimis B. Dn. D. Polycarpus Lyserus in Noacho p.278.& seq. Ergò *imperium Nimrodi non* potest dici *primùm absolutè tale, sed tantum comparatè*, ratione sci: potentiæ, qvòd ante illud nullum potentius aliud in his terris viguerit; qvemadmodum & id verba seq.c.v.10. expresse indicant, qvando dicitur, *qvod ipse cœperit esse potens in terra, & qvod principium regni ejus fuerit Babel.* Sed qvicqvid tandem hujus sit, non poterit tamen ex illius imperii violento ortu firmiter probari, qvòd à Deo neqvaqvam institutum fuerit. Modus qvidem acqvirendi humanus fuit, sed non imperium ipsum ab ipso fuit constitutum.

§.12. Pergimus abhinc ad Imperium OECONOMICUM, de qvo etiam nobis incumbit probandum, qvod origine primò divinum sit. Et cùm superiùs dictum sit, qvòd illud *vel in societate conjugali*, ubi Maritus imperat uxori, *vel in herili*, ubi Dominus servo, *vel in paterna*, ubi Parens dominatur liberis, obtineat, dispiciendum qvoq; hîc de eo sigillatim, ratione cujuslibet societatis, erit.

§. 13. Fiat igitur initium *à Potestate γαμικῇ*, mariti scil. in uxorem. Hæc omnino verè divina est. Deus enim non tantùm post lapsum, sed etiam jam ante illum, regimen aliqvod marito in uxorem concessit: Post lapsum, qvando sonora voce ad Evam dixit: *Et ipse dominabitur tibi*: Gen.3.v 27. adeoq; subjectionem ipsi demandavit & injunxit. Ante lapsum, dum caput ipsius Evæ Adamum constituit. Ita enim loqvitur Apostolus 1.Cor.11.v.9. 10. *Neq; enim conditus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Propter hoc debet mulier potestatem in capite habere.* Inde colligunt Theologi, qvod etiam homo ante lapsum aliqvod dominium in mulierem suam habuerit. Distingvunt tamen inter imperium coactum, & spontaneam submissionem: inter regimen conjunctum cum libidine & importunitate dominandi, & inter obedientiam voluntariam svavem & concordem. Hinc dicunt, qvòd Eva sponte sese voluntati Adami subjecerit, & Adamus

damus absq; ulla importunitate ipsi Evæ imperarit. vid. B. Gerh. in loco de Magist. Polit. §. 26. & in Comment. in Gen. c. 3. p. m. 116. Et præterea certum est, qvòd Adam & Eva, etiam in statu innocentiæ, ut Conjuges cohabitarint, atq; adeo in societate conjugali vixerint. Ubicunq; autem societas est, ibi etiam aliqvod regimen est.

§. 14. Qvòd attinet verò *Imperium δεσποτικὸν seu berile*, & *πατρικὸν* seu *paternum*, de illis etiam in confesso est, qvòd non aliunde, qvàm ab ipso Deo suam originem habeant. Nisi enim Deus hæc imperia constituisset, vera etiam imperia non dicenda essent, qvia ideo imperium aliqvod dicitur verum imperium, qvòd à Deo constitum sit. Jam verò potestas heri in servum, parentum in liberos & obedientia servi & liberorum in scripturis à Deo sæpissimè præcipitur, uti Theologi id alias adducunt. E. negandum non est, qvòd & hæc imperia à Deo instituta sint. Ex eo autem non conseqvitur statim, qvòd, qvia potestas aliqva Heris in servos, & Parentibus in liberos divinitùs concessa est, etiam jus vitæ & necis in ipsos simul communicatum sit. Hoc enim non ad imperium privatum & domesticum, qvale Heri & parentum est, pertinet, sed à publico & Politico, jus gladii gerente, exerceri debet. Et licet vel maximè nonnulli in historiis veterum hoc ipsum jus executi legantur, id tamen non intelligendum est de heris aut parentibus, qvà talibus, & qvatenus personæ privatæ fuerunt, sed qvatenus Magistratum politicum gesserunt: Aut, si fortè eo respectu, qvatenus Heri aut parentes fuerunt, delinqventes suos punierunt, non ex legitimo ipsis cōpetente jure, sed per viam facti fecerunt, potestatem suam justo latiùs extendentes. Sed, qvoniam de hac materia alibi fusius disputatur, nolumus & illi diutiùs hìc inhærere, qvin potiùs convertimus nos ad ortum Imperii hominis in hominem naturalem. Esto igitur.

# DISSERTATIO II.

## *De*
## *Ortu Imperii hujus naturali.*

§. 1. Ut verò & hìc inoffenso, qvod ajunt, pede procedere qveamus, cæteraq; sua sponte fluant feliciter, explicandum omninò in antecessum erit, qvot modis alias τὸ naturale seu à natura

tura

tura esse sumatur, & qvomodo hic accipiendum legitimè sit.

§. 2. Ambiguus certè terminus *naturalis* & hîc, uti non minus alias alibi, est. Sed notandum, qvòd in nostro hoc negotio *non* accipiatur (1) *qvatenus opponitur τῷ supernaturali.* Non enim excludimus hîc, qvemadmodum jam in præcedenti dissertatione monstratum, ortum divinum, sed asserimus, qvod & imperium hominis in hominem causam supernaturalem, Deum nempe, ut primarium autorem, habeat; *neq; qvatenus (2) opponitur artificiali:* Non enim negamus, qvod & arte & industria humana hoc imperium acqviri possit, uti id in seqventi dissertatione probabitur: *neq; (3) qvatenus opponitur voluntario,* siqvidem & voluntariè cum judicio rationis & electionis qvàm plures populi potestati alicujus sese subjecerunt; *neq; (4) qvatenus opponitur morali & civili,* cùm & illud bonum aliqvod morale & civile in seqventibus asserturi simus: *neq; (5) qvatenus opponitur violento.* Constat enim, qvòd per violentiam nonnunqvam hoc vel illud imperium constitutum sit. *Neq; (6) qvatenus opponitur acqvisito;* Non enim statuimus, qvasi ita naturale sit, ut aliunde per varias artes acqviri non possit: *sed qvatenus opponitur (1) fortuito.* Removemus enim hic Epicuri opinionem, somniantis, homines temerè & fortuito casu coaluisse, teste Cic. lib. 1. & 2. de Nat. Deor. (2) *adoptivo.* Absurdus enim esset, qvi statueret, qvòd imperium hominis in hominem aliqvod qvasi adoptivum esset. Adeoqve ut breviter dicamus, qvod sentiamus, sumitur hic τὸ *Naturale* esse (1) *constitutivè,* cùm à natura, tanqvam principio constituente, proveniat. (2) *consecutivè,* qvia ipsius naturæ effectus est (3) *subjectivè,* qvia naturæ firmiter inhæret. (4) *perfectivè,* cùm naturam qvasi exornet atq; perficiat, & (5) *transitivè,* qvia ab uno in alium transit, ut ordo aliqvis in natura conservetur.

§. 3. His ita expositis, progredimur ad assertionis nostræ probationes. Argumentamur igitur primò hunc in modum: *Qvodcunq; ex genere necessariorũ est, illud utiq; naturale est,* cum natura, docente Thoma p. 1. q. 5. art. 5. non deficiat in necessariis. *Atqvi imperare atq; parere ita sese habent.* E. Major sua luce radiat. Minor verò probatur, qvia imperare & parere ordinem inter homines constituit, qvo qvasi in unum colligimtur, ne perpetua inter ipsos existat discordia & confusè omnia gerantur.

§. 4. Dein-

§. 4. Deinde colligimus hoc *ex ipsa plurimorum hominum indole & qvalitate.* Constat enim, reperiri ejus generis homines qvàm plurimos, *qvos*, ut loqvitur Seneca c.5. de vita beata, *in numerum pecorum & animalium redegit hebes natura & ignoratio sui.* Illi enim cùm imbecilli prorsus, immò nulla ferè ratione prædditi, brutis, magis sint similes, qvàm hominibus, haud possunt qvicqvam propter corporis usum præstare, adeoq; semper opus habent duce, gressus suos usq; qvaq; adjuvante. E diverso alios natura magis animis & providâ instruxit solertiâ, ut ad qvasvis res, etiam summè arduas, apti esse videantur, & natura ad imperandum qvasi facti, qvemadmodum illi ad serviendum. Qvo sensu Jason dixit: *se obedire non posse, qvod ad imperandum natus esset*, teste Arist. lib. 3. pol. c. 3. & Themistocles declinavit à se suspicionem defectionis ad Persas, ex eò, qvòd *non esset verisimile, ipsum serviturum, qvi natus esset ad imperandum.* Vid. Plutarch. in Themist. Atq; huc respexit Plato lib. 3. de legg., qvando, *imperantium animis*, ait, *admixtum fuisse in prima generatione aurum, unde honoratissimi facti fuerint; illis autem, qvos ad auxiliandum fieri voluit, argentum indidit ferrum deniq; & æs agricolis.*

> *Fertur* qvippe *Prometheus addere Principi*
> *Limo coactus, particulam undiq;*
> *Desectam.*

Ut ludit Venusinus Lib. 1. Od. 16. & pro conditione suam cuiq; attribuisse indolem. Qvod ipsum ex Platone Aristoteles lib. 2. Pol. repetit, & pleniùs expressit Homerus Odyss. 17.

> Ἥμισυ γὰρ τ' ἀρετῆς ἀπαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς
> Ἀνέρος; εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν.

Platoq; interpretatus est lib. 6. de Rep. hunc in modum: *Qvos natalis dies jam servos edit, mentis vix habent dimidium.* Æqvitati proinde & naturæ ipsi, prudentissimæ rerum matri, consentaneum esse videtur, ut, cùm ipsi, è re qvid sua sit, non satis videant, alios audiant, ad eorumq; nutum sese componant: qvod præclarè docuit Philosopus in Politico opere, tum alibi, tum Lib. 1. c. 3. 4. lib. 3. Pol. c. ult. lib. 7. Pol. c. 3. & 14. Et huc tendunt qvoqve Ciceronis illa, in fragm. lib. 3. de Republica (qvæ, Giphanio in commentario ad Politica Aristotelis observante, exstant a-

pud Augustinum lib. 4. contra Pelagium) *Annon cernimus optimo cuiq; dominatum ab ipsa natura & cum infirmorum utilitate datum? Cur igitur DEus homini, animus imperat corpori, ratio libidini, iracundiæq; & cæteris vitiosis ejusdem animi partibus.* Et illa lib. 3. de natura Deorum, dicentis: *Naturam omnem necesse esse, quæ non solitaria sit, neq; simplex, sed cum alio conjuncta atq; connexa, habere aliqvem in se principatum, ut in homine mentem, in belua qvoddam simile mentis, unde oriantur rerum appetitus. In arborum autem & earum rerum, qvæ gignuntur è terra, radicibus inesse principatus putatur.*

§. 5. Accedit tertiò, qvod hoc ipsum velut innatum sit hominibus, ut, qvando hominem, egregiâ formâ, conspiciunt, dignum ipsum imperio judicent, ex corporis nempe formositate animi excellentiam colligentes. Cùm igitur unus homo præ altero nactus sit animam excellentiorem & mentem nobiliorem, ut hic secundum mentem magis, ille secundum corpus & appetitum magis vivat, naturale omninò est, ut is, qvi affectibus magis obtemperat, obseqvatur illi, qvi mentis imperio utitur.

§. 6. Deniq; probamus & hoc *ex ipso jure naturæ, tàm communi, qvàm proprio.* Ex communi, qvod homo commune habet cum bestiis. Natura enim imaginem aliqvam docuit brutas animantes, qvòd majores & fortiores imperent qvasi mitioribus & timidioribus. Ex proprio; qvòd homò qvà homo, sit virtutis causa animal sociabile: Ubicunq; autem societas est, ibi & naturale aliqvod imperium in alium est. Est ergò imperium hoc à natura tùm inchoatè, tùm consummatè: *Inchoatè*; qvatenus in hominibus insita qvædam Zopyra, &, ut loqvitur Scaliger, semina æternitatis sunt, ut societas humana continuari & conservari possit: *Consummatè*, qvatenus hominibus non tantùm innatus est appetitus, qvo ad societatem politicam feruntur; sed etiam vis intellectus istam regit, ut hic sese subjiciat, alter verò subjectionem accipiat ac imparet.

§. 7. Sed excipiunt hîc (1) qvòd, si Imperium hominis in hominē naturale dicatur, etiam exinde colligi possit, qvòd in statu innocentiæ naturale fuisset. Jam verò pœna peccati esset. E. naturale dici non posset. Verum enim verò Resp. concedendo,

qvoad

qvoad prius, negando verò qvoad posterius. Asserimus enim cum sapientioribus Theologis & Politicis, qvòd genus humanum in statu integritatis usq; adeò ἄναρχον non futurum fuisset. Nam, multiplicato genere humano, diversę ac plures ortæ essent familiæ, qvæ non potuerunt carere capite, aliàs defuisset ordo ad pulchritudinem & constitutionem universi omninò reqvisitus. Ut enim singulas familias oportuisset habere qvoddam caput, ita qvoqve plures familiæ non possent esse ἀκέφαλοι καὶ ἄτακτοι. *Sine ordine enim constare natura non potest*, inqvit Scaliger exerc. 3. de subt; *nihil enim absq; ordine meditata est vel effecit.* Distingvendum tamen inter imperium blandum & onerosum. Prius omninò ibi obtinuisset, qvippe ab ipsa natura intentum, posterius verò defecisset, cùm ceu pœna peccati introductum sit.

§. 8. Excipiunt (II) qvòd hâc ratione etiam servitus naturalis statuenda sit, cùm alias ista pugnet non tantùm cum lege naturæ, sed etiam cum libertate Christiana. Omnes enim homines ab initio liberi nati sunt. *Et DEus rationalem, ad imaginem suam factum, noluit nisi irrationalibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori, uti* habet Augustinus lib. 19. de C. D. c. 16. Sed Resp. (1) qvòd servitus naturalis nihil nobis adversetur. Defendimus enim, qvòd qvàm plures inveniantur, qvi adeò stupidi ingenii sint, ut nec sibi ipsis utilia prospicere, nec alios rectè gubernare possint. Undè merito aliorum imperio & regimini sese, natura qvasi ductrice, ob impotentiam mentis, subjicere debent. (2) qvòd liberi ab initio, scilicet post lapsum, nati dicantur homines, *non præcise respectu animi, cùm, qvoad hunc,* sæpissimè ob imbecillitatem naturalem servi aliorum facti sint; sed respectu corporis, qvòd primitus aliorum dominio qvoad corpus subjecti non fuerint, sed qvòd successione temporis tales tandem facti sint. (3) qvòd dupliciter homo considerandus sit, vel in statu naturæ integro & incorrupto ante lapsum, vel in statu imperfecto & corrupto, post lapsum. *Qvoad primum* alter alteri non fuit subjectus ut servus; sed omnes erant liberi, qvia omnes imaginem Dei ex æqvo obtinere debuissent; & tale *jus naturæ* vocatur *primævum. Qvoad secundum* verò, ubi distinctiones & gradus qvidam majoris vel minoris bonitatis, itemq; ma-

joris vel minoris depravationes implantati sunt in naturam humanam, utiq; unus homo alteri est subjectus. Et hoc *jus* vocatur *secundarum* sive *ortum* vel etiam *jus ratiocinationis*; Et de hoc loqvitur Aristoteles, cùm dicit: *per naturam, scil. in hâc vita humanæ conditione, spectatam, qvosdam esse divinos, qvosdam servos.* Qvam distinctionem pulcherrimis verbis expressit Augustinus supra cit. lib. 19. c. 15. de C.D. ubi inqvit: *Conditio servitutis jure intelligitur imposita peccatori: nomen istud culpa meruit, non natura.* Et paulò post: *Prima servitutis causa peccatum est, ut homo homini conditionis vinculo subderetur.* Et paulò inferius: *Nullus naturâ, in qva prius DEus hominem condidit, servus est hominis aut peccati. Verum & pœnalis servitus ea lege ordinatur, qvá naturalem ordinem conservari jubet, perturbari vetat, qvia si contra eam legem non esset factum, nihil esset pœnali servitute cohercendum.* Ut ita & hinc manifestum sit, qvòd servitus, licet primo juri naturæ sit contraria, non tamen simpliciter, ut injusta, sit improbanda, cum nempe ea, respectu hujus corrupti status humani, utilis omnino sit ac necessaria ad societatem conservandam: nihil enim impedit, qvò minus illud, qvod simpliciter non est justum, secundum qvid tamen justum fiat.

§. 9. Adeoq; non apparet, qvòd cum JCtis, qvi aliqvem natura servum esse negant, usqve adeò pugnemus. Si enim potentia & inclinatio ab habitu & actu distingvatur, nulla erit inter Philosophos & JCtos discrepantia. JCti enim loqvuntur de actuali & habituali servitute, qva qvis alieno domino subjectus est, sive sit ad servitutem, sive ad Dominium sive non natus: Atq; hoc violentum & contra naturam esse neqve Philosophi negant. Aristotelis autem & Philosophorum sententia, de natura servis loqvens, accipienda est in eum sensum, qvo Plutarchus in Pelopida ait: *Pelopidam natura Imperatorem fuisse, non qvidem qvod talis natus fuerit; sed qvod prudentiam regiam naturâ haberet.*

§ 10. Excipiunt III., qvòd multi fugiant societatem politicam, & imperium aliorum ferre non possint. Sed Resp. (1) à particulari ad universale non valet Cons. Una hirundo non facit Ver. Licet vel maximè sint ejusmodi ἀπόλιδες καὶ ἄτακτοι, qvi à civili societate penitus abhorrent, & hujus vel illius imperium detre-

detrectant, communem tamen naturæ cursum pertinacia sua non in totum evertunt. (2) Committitur fallacia accidentis,& à dicto secundum qvid ad dictum simpliciter. Non enim oderunt Rempublicam, qvatenus homines fuerunt, sed qvatenus melancholia vel morbo alio aliqvo animi corrupti fuerunt: Non oderunt Rempubl. qvatenus est talis, sed qvatenus hisce vel illis vitiis corrupta fuit, adeoq; non oderunt materiale & formale ipsius Reipubl.sed accidentia vitiosa, qvo sensu multi qvoqve dicuntur odisse mundum. (3) Committitur etiam fallacia ignorationis Elenchi in hoc,qvoniam objicitur nobis,qvod multi reperiantur, qvi colla aliorum Imperio subdere nolint. Non enim negamus hoc, qvòd extent ejusmodi homines, qvibus aliorum in se imperium à natura planè adversum est; qvin potius asserimus,qvòd ipsis à natura imperium in alios ingeneratum qvasi sit, uti superius exemplo Jasonis & Themistoclis jam probatum fuit. Qvi vero, naturâ ad parendum qvasi nati resistunt,illi non minimum jus naturale in semetipsis destruere satagunt,& hactenus non leviter etiam ab eo,cui meritò subesse deberent,puniuntur. Hinc conseqvitur nunc

## DISSERTATIO III.

### *De*
### *Ortu Imperii hujus Civili.*

§. 1. Anteqvàm & hîc ipsius rei invadamus arcem,significandum priùs erit,qvid nobis propriè sit *ortus Imperii hominis in hominem civilis.* Dicimus autem,qvòd iste nobis in præsenti nihil aliud sit,qvàm ista ratio,secundum qvam ab initio homines qvasi ducti fuerunt aliorum imperiis sese subjicere. Hanc ergo ut exponamus,qvantum fieri potest,paulò accuratius, ita procedere lubet.

§.2.Primùm producimus ipsum Ciceronem,qvi in lib.2. officio.in hæc verba definit: *subjiciunt se homines imperio alterius & potestati pluribus de causis; Ducuntur enim aut benevolentia aut beneficiorum magnitudine aut dignitatis præstantia,aut spe,sibi id utile futurum,aut metu ne vi parere cogantur,aut spe largitionis promissionibusq; capti,aut postremo(ut sæpe nostra in Republica videmus) mer-*

 *cede*

*cede conducti.* Egregia sanè, ut Tullii omnia, qvæq; ipsa experientiâ & annorum usu comprobantur.

§. 3. Ut autem res ipsa manifestior evadat, age, ipsas rerumpublicarum initiò statim excutiemus Cunas. Sanè Philosophus noster, cum de primis rerumpublicarum elementis agit lib.1.Pol.c.2. indigitare non solum sed & demonstrare videtur, *naturam qvasi ipsam regio gubernandi modo* delectatam fuisse, qvo cum ipso lacte qvasi usa est. Postqvam enim dixisset, qvod pagus sit propagatio domus eorum, qvos collactaneos vocamus, & natorum natos & qvi nascuntur ab illis, tandem addit: *hinc factum est, ut olim civitates, & nostro etiam tempore gentes, regio utantur imperio. Ex his enim, qvi regno gubernant, originem traxerunt. Omnis autem domus regitur à Seniore, qvemadmodum & Coloniæ propter affinitatem. Et hoc est, qvod Homerus ait: Jura dat qvisq; natis & uxoribus.* Non aliena sunt ab hisce, qvæ Jornandes initio *libri de regnorum ac temporum successione* narrat, qvando hunc in modum loqvitur: *Ab origine orbis primaq; creatione tàm hominum qvàm elementorum, usq; orbis terræ diluvium, secundum veridici Legislatoris verba Mosis, duo millia ducentos qvadraginta & duos annos colligimus. In qvibus annis adhuc rudi ac simplici hominum natura non reges, sed familiarum capita in suo genere erant.* Hæc & hujus generis alia ostendunt, qvomodo ab initio homines qvasi assvefacti sint, ut alieno sub imperio essent, qvippe qvi à Parentibus qvasi, cum ipso lacte hoc ipsum hauserint, inq; alios suos nepotes transmiserint. Certum enim est, qvod Patres familias ad modum regium, si non, ut reges, sese gesserint, jusq; vitæ ac necis exercuerint, bello finitimorum injurias propulsarint, nemini nisi soli Deo subjecti. Et hæc deinde ratio qvasi per consvetudinem ad alios qvoq;, qvi variis è locis cohabitandi gratia convenissent, devoluta est, ut & ipsi eadem uterentur, qvam à suis qvisq; parentibus acceperat. Atq; ita qvidem sese habuere initia Rerumpublicarum.

§. 4. Posteà autem, cum hominum malitia mirum in modum pullulare cœpisset, cœpere sibi qvisq; consulere: Hinc non paucos *sola benevolentia* induxit, ut aliorum fidei sese submitterent, qvorum forte de virtutibus bonam aliqvam spem animo conceperant. Certè Justinus, Romanus scriptor longè castissimus,

*prin-*

*principio*, ait, *rerum, gentium nationumq; imperium penes reges erat, qvos ad fastigium hujus majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat.*

§. 5. Alios *beneficiorum magnitudo* impulit, ut, cùm grati esse vellent, ipsos sese in eorum, qvi benè de se meriti essent, manibus traderent: Alii *eximiæ alicujus utilitatis spe* alios sibi constituere, qvorum imperio subessent: Qvidam & *ex metu*, ne vi demum parere cogerentur, sese subjecerunt. Nonnulli etiam, cum plebs sit bellua multorum capitum, inq; hoc ferè consentiat, ut non consentiat, *exigente necessitate coacti* sunt summam potestatem ad unum devolvere, cum alias rebus non possent consulere, idq; modò ad certum aliqvod tempus, modò verò in omnem ætatem. Alii deniq; *alias ob causas in alius* alicujus manus sua resignarunt: multos *fames* coegit, multos *aliæ adversitates*: At verò eorum, qvi, vel inclinata re, aliorum ditioni se subjicere, vel etiam victi procubuere, inq; victorum verba jurare sunt coacti, numerus est longè maximus, adeò, ut si enumerare velimus, charta sane nos deficeret. Exempla qvi desiderat, adeat ipsum Philosophum in libris prioribus Polit. Cicer. in libb. de officiis, Livium, Lib. 7. Justinum lib. 38. Strabon. l. 12. Pomponium de Imperio Roma. lib. 2. aliosq;.

§. 6. Ex his ergò satis superq; patet, qvâ ratione Imperium hominis in hominem civiliter etiam exortum sit. Unde nobilis illa exsurgit demum controversia: *An in populi alicujus arbitrio situm sit, jura qvæcunq; sua, maximè verò summa à se abdicare, inq; alios sive unum sive plures transcribere?* Solent enim cum Althusio nonnulli id simpliciter negare, &, ceu Gorgonis aliqvod caput, hoc semper objectare, qvod ejusmodi imperandi ratio naturæ contraria, ipsi populo planè adversa, & tantum non injusta sit; qvippe qvæ ipsum juribus suis privet, neqve communem sibi curæ habeat utilitatem. Sed, qvòd pace eorum dixerim, falsissima sunt: neqve enim verum est, omne illud esse injustum, qvòd contra naturam fieri dicitur. Enim verò si cum animo cogitemus nostro, qvid propriè juris naturalis, conditio sit, experiemur sanè, cum eodem ita esse comparatum, ut qvæ plane à nobis fieri vel non fieri vult, non obscurè significet; circa qvædam autem ita se gerat, ut deliberare potius & consilium qvasi

dare,

dare,qvàm certi aliqvid definire videatur. Jam verò, qvæ fieri vel non fieri à nobis planè debent,sine manifesto peccato omitti haud possunt; qvicqvid igitur illis contrariatur,injustum est. Qvæ verò naturæ qvasi consilio qvodam nituntur,ejus,sunt conditionis, ut si humana pateretur infirmitas, omninò observari velint; veniam tamen impertiantur,si qvis errore aliqvo abductus minus cautè sese hac in parte gesserit. Qvicqvid igitur hæc contrà venit,laudem qvidem nullam meretur, omni tamen ex parte haudqvaqvam etiam iniqvum est, nec simpliciter dici potest contra naturæ leges factum. Qvòd si igitur contingat, ut vel lege qvadam,vel conventione aliqva, vel alia qvacunq; tandem ratione libertas hominum amittatur, iniqvum minimè censeri debet & injustum, cum in ea nullo modo impingatur, qvæ naturæ jus à nobis plane fieri vel non fieri voluit.

§. 7. Ne verò & nos simpliciter id asserere videamur, unicam vel alteram rationem, qvâ probemus, posse omninò benè fieri,ut homines omnem à se abdicent potestatem, aliiqve eandem rectè usurpent in administrandis eorum negotiis,à qvibus ad sese devoluta est,etiamsi non communem ex æqvo qværat utilitatem,adjicere placet. Prima desumpta est *à libera hominis voluntate*,juxta qvam qvisq; sese in servitutem potest addicere alteri.Id enim non solum Romanis,aliisq; populis in more fuit positum; sed & ab ipso Deo ter optimo maximo. Exod. 21.v.5.6. permittitur: Verba ferè hæc sunt: *Qvod si servo Dominus uxorem dederit finito sexennio, manumittetur, &c. qvod si verò captus amore uxoris & liberorum suorum noluerit à Domino discedere, offeret eum Dominus Diis,id est, Judicibus,eiq; ad postem applicato subula aurem perforabit,ut ei perpetuo serviat.* Auris enim perforata servitutis signum erat. Magis etiam hoc elucet ex Lev.c.25.v.46. *Ubi extraneos & peregrinos Judæis Dominus perpetuò possidendos dedit, qvos,cum liberet, venderent, aut etiam hæredibus suis relinqverent.* Qvòd si igitur unicuiq; & singulis permissum est id, qvòd ex divino constat testimonio,ut omnia sua jura, qvæ à natura sibi indulta sunt,à se in alium transferri possint,adeò qvidem, ut perpetuo sub alio sint,ejusq; posteris ac posterorum posteris; seqvitur omninò,à toto aliqvo ac universo populo idem qvoqve non incommodè fieri posse; nimirum,ut se suaq; omnia alterius

pote-

poteſtatis faciat,atq; in poſteros & poſterorum poſteros interrupto tenore tranſcribat, adeò, ut ſui qvoq; poſteri eodem ſub imperio ſint & conſtanter maneant.

§. 8. Altera petita eſt *ab ipſius naturæ dictamine.* Naturæ enim commune qvaſi conſilium eſt, ut ex duobus, qvòd minimum eſt, eligatur malum. Qvòd ſi igitur contingat, ut tantas ad anguſtias aliqvis redigatur, qvacunq; tandem occaſione, ut aut ſerviendum ipſi ſit, aut pereundum; Natura ipſa qvaſi ſvadet, immò exigere videtur, ut libertatis potiùs, qvàm vitæ jacturam faciat; cum de judicio omnium, qvi ſanæ mentis ſunt, ſatiùs ſit ſervire, qvàm interire. Neq; verò prudentisſima rerum Mater vel uni vel alteri hoc conſilium, ſed omnibus univerſim hominibus, & ſic populis etiam integris, dediſſe exiſtimanda eſt, ſi forte adversâ fortunâ premantur, utpote qvæ omnibus ex æqvo bene cupit. Atq; hinc eſt, qvòd *qvidam*, teſte Philoſoph. lib. 3. Pol. c. 6. *ipſius vitæ gratiâ congregentur. Forſan enim ineſt ſibi aliqva particula honeſti, & continet civilem ſocietatem etiam ſolum vivere, niſi moleſtias in ea intolerabiles accumulentur. Patet autem, qvòd tolerent homines multa aſpera deſiderio vitæ,* ὡς ἐνούσης τινὸς εὐημερίας ἐν αὐτῷ καὶ γλυκύτητος φυσικῆς, h. e. *utpote cùm inſit ei qvædam felicitas & naturalis Jucunditas;* Hujusq; rei evidens argumentum capere licet ex ipſa morte, qvòd illa ſit, ut Philoſ. loqvitur. lib. 3. Eth. ad Nicom. c. 9. φοβερώτατον, h. e. *terribilium omnium longe qvid terribiliſſimum*, qvippe, qvæ naturam ipſam diſſolvat, *vitæ commoda omnia, & ipſam hanc lucem nobis eripiat;* ut Tullius ait. Neq; enim apud Euripidem Electra in hæc verba fruſtrà erupiſſe cenſenda eſt.

---- οὐχ' οἷόν τε μὴ στένειν κακὰ
Πᾶσι γὰρ ἐμπεφυκὲ φίλη ψυχὴ βροτοῖς.

Ut proinde optimè ſibi conſuluerint, & ex naturæ qvaſi præſcripto ſe geſſerint, qvi, cùm optio ſibi daretur, libertate potiùs, cunctisq; eam concomitantibus juribus & commodis, qvàm vitâ, dulcisſimo bono, exui voluerunt.

§. 9. Tertia deniq; deprompta eſt, *ab ipſorum ſummæ poteſtatis jurium qvalitate.* Illa enim ita comparata ſunt, ut ab uno in aliud tranſire ſubjectum, & proinde alienari posſint. Sunt enim humana; jam verò in confeſſo eſt, omnia jura humana bonum aliqvod humanum eſſe, ac proinde in commercium venire;

 qvòd

qvòd si in commercio sunt, omninò etiam sub dominio sunt, ac proindeetiam in alios transferri possunt. Sed hæc & alia ulteriùs & penitius hic discutienda JCtis relinqvimus.

§. 10. Cùm igitur ex hisce jam dictis constet, qvod liber aliqvis populus jura sua transfundere possit in alium, qvi imparet ipsis, *qværi* etiam posset; *an non tantùm hâc, sed etiam alia ratione Imperans sit propter subditum, an verò subditus propter imperantem?* Nobis qvid videatur, breviter hic indicaturi sumus: Si imperans consideretur ratione eminentiæ & dignitatis, tum subditus est propter ipsum; Sin verò non eminentia spectetur, sed necessitas communis conditionis humanæ, utiqve Imperans est propter subditum, utpote *cujus felicitatem & bonum tenetur procurare & cujus saluti se suamq; vitam debet consecrare*, ut præclarissimè Cicero monet lib. 1. Offic. *omninò*, inqviens, *qvi rei præsunt publicæ, duo Platonis præcepta teneant: Unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut, qvicqvid agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterum, ut totum corpus Reipubl. curent, ne, cum partem aliqvam tuentur, reliqvas deserant. Ut enim tutela, sic procuratio Reipublicæ ad utilitatem eorum, qvi commissi sunt, non ad eorum, qvibus commissa est, gerenda est.* Alias Imperans & Parens relata, & qvidem inæqvalia sunt, qvæ disqviparantiæ vocant Scholastici, in qvibus relatum dignius & superius est Correlato; ac proinde τὸ regere, qvòd Imperantis est, prius est, qvam τὸ regi, qvòd parentis. Adeoq; parens ultrò sese submittit imperanti, h. e. facit se ipsum, ut ita dicam, regibilem: Imperans verò actu ipsum regit. Itaq; Imperans natura prior & posterior est parente. Prior est, qvatenus regit, posterior verò, qvatenus à populo constitutus est. Populus enim omnem suam potestatem contulit in ipsum. Etenim suffragio creatos esse primos reges, qvi tyrannidem non exercuerunt, in propatulo est. Si verò formaliter & in relatione spectantur, sunt simul. Qvòd aliàs alibi fusius docetur. Nos in his in præsens acqviescimus, dicentes

SOLI DEO GLORIAM.

*Ad Humanissimum Dn. Respondentem, amicum meum.*

ECce! novum titulum noster KOHLREIFFIUS adfert,
Qvo res antiqvas exprimit atq; docet.
Res ego laudabo veteres veteresq; triumphos,
Qvos habuit docti tota caterva chori.
Junge novis rebus veteres, & perge dietim,
Ut novus atq; vetus Doctor adesse qveas.

*Michael Wendelerus, D. & P.P.*

---

*DUm Cathedram nostram conscendis, & ore diserto*
*Ingenii ostendis dona beata Tui;*
*Primitias Musa tantas gratantur, & inde*
*Commendant Phœbo nomina grata suo.*
*Perge tuas posthac nobis ostendere dotes,*
*Præmia sic capies digna labore Tuo.*

gratul.
Ægidius Strauch/S.S.Th.D.P.P.

---

IMperiis homines hominum sceptrisq; regendos
Esse qvidem, siculâ sed sine mente, doces.
Orsam perge pari studio detexere telam;
Sic hominum fies Induperator homo.

M. Michael Strauch / Mathem. P.P.

---

FELICITER!

IMPERIUM, KOHLREIFFE, Tuum benè prosperet ille,
Qvi, Deus, in cunctos sustinet IMPERIUM!

*Spe plenus acclamabat boni commatis*
*Auditori hactenus, jam Respondenti suo,*
PRÆSES.

---

*SIc ardens Cathedram scandis virtutis amore,*
*Continuis studiis ardua qvæq; subis.*
*Perge bonis avibus, nam pro conamine tanto*
*Larga brabea Tibi magnus JOVA dabit.*

Paucula hæcce Per-Eximio atq; Literatissimo
Dn. Respondenti, Amico atq; Contubernali suo Dilectissimo scribebat
*Johannes Sorgius, Misenâ Misnicus.*
*Macte!*

*Macte!*

NOn Pauso, Pylades; sed Pugnatore Gradivo,
Perdius ac pernox signa petis sophiæ.
Congregis artitis fies: per bella brabea
Buccinat in circo gemmea Fama suo.

*Erudito Dn. Respondenti Anico suo summati*
*ac notæ Aniciana velut*
Schedium hocce deproperabat
Johannes Zirenbergius, Soltqvellâ-Palæo-
Marchicus.

---

*IMperat in pictas volucres Jovis armiger ales;*
*Ac Leo qvadrupedum sceptra tremenda gerit.*
*Cur qvoq; non homines hominum regat alta potestas?*
*Hoc etiam fusè, Candide Amice, probas.*
*Auguror hinc, hominum fore Te, si cœpta perennas,*
*Induperatorem, sis licet ipsus homo.*

Sic Præstantissimo atq; Eruditissimo Dn. Respondenti, Fautori atq; Amico suo dilecto acclamat
*Johannes Sigismundus* Raue/ *Ilenbur. Misnicus.*

---

QVis non hosce tuos extollat, Amice labores?
Fallor? an accipias digna brabea brevi?

*Gratulabundus hæc paucula apposuit Præstantiss. ac Literatissimo Dno. Respondenti, Fautori ac Amico suo svavissimo*
Gothofredus Reinesius, Salz. Saxo.
Ph. ac L.L. Studiosus.




---

PUblicitus scandis sophicam, KOHLREIFFE, cathedram,
Ut benè cedat opus, Gratulor ex animo.

*Hoc gratulabundus adjicere voluit*
Carolus Christianus Schmidius,
Dresdâ Misnicus.

❦